



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio prima. Vtrum consecratio huius sacramenti propriè conueniat
sacerdotibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Magistri Durandi de Sancto Porciano

representat eandem passionem secundum quod nos reficit quasi spirituale alimentum. Et ideo debet iterari, sicut alimentum corporale frequenter iteratur.

10. Auctoritas autem Augustini quae allegatur in oppositum supponit convenientem dispositionem suscipientis, unde postquam dixerat verba praedicta subiunxit. sic vivit ut quotidie merearis accipere. In casu autem in quo est dubium de suscipientis dispositione dicit in lib. de ecclesiasticis dogmatibus. quotidie eucharistiam accipere nec laudo, nec vitupero. Singulis autem diebus dominicis communicandum hortor. Et habetur de consec. dist. 2. capitulo Quotidie.

Sententia huius distinctionis. XIIII.
in generali & speciali.

Solet etiam quaeri. Superius determinavit Magister de sacramento eucharistiae quantum ad esse & fieri. Hic determinat de eo quantum ad dispensationem. Et dividitur in quatuor partes. Primo determinat de ministro dispensante. Secundo de sacramenti susceptione. Tertio epilogat dicta in hoc tractatu. Quarto subiungit quoddam incidens. Secunda ibi. Illud etiam potest sane dici. Tertia ibi. De hoc caelesti mysterio. Quarta ibi. Ne autem ignores. Prima in duas. Quia primo inquirit de ministerio dispensante. Secundo subiungit quae requiruntur in ministro ut hoc sacramentum possit conficere ibi. In huius autem mysterii explicatione. Prima adhuc in duas. Quia primo inquirat an sacerdos malus possit conficere. Secundo utrum praecius ab ecclesia. Secunda ibi. Illi vero qui excommunicati sunt. Haec est divisio, &c.

1. In speciali sic procedit. Et proponit primo utrum mali sacerdotes possint hoc sacramentum conficere. Et respondet Magister quod bonitas vel malitia ministri nihil ad consecrationem facit. quia hoc non est in merito consecrationis sed in verbo efficitur creatoris. In hoc enim sacramento sub tegumento rerum visibilium divina virtus secretius operatur salutem. Et hoc pluribus auctoritatibus confirmat. Postea dicit quod qui praecius sunt per excommunicationem ab ecclesia (ut haeretici) non videntur hoc sacramentum posse conficere, quoniam sunt sacerdotes. quia nemo dicit in consecratione huius hostiae offero, sed offerimus, quasi in persona totius ecclesiae, ipsi autem sunt extra ecclesiam. Missa etiam dicitur, eo quod caelestis nuncius missus adveniat ad consecrandum hoc sacramentum. Non est autem praesumendum quod ad benedictionem haeretici Deus mittat celestem nuncium, cum ipse dicat per Prophetam. Maledictionem benedictionibus vestris. Postea dicit quod ad consecrationem huius ministerii requiritur quod minister sit sacerdos & quod habeat intentionem consecrandi (hanc saltem) quod intendat facere quod facit ecclesia. Postea dicit quod corpus Christi a brutis non sumitur, quid ergo sumunt quando species incaute servatas comedunt, dicit se nescire, sed Deus scit. Postea epilogat dicens, quod de hoc sacramento aliqua perstrinxit quibus illi qui contradicunt haeretici sunt censendi: quid sit autem haereticus diffinit, quod ille est haereticus qui falsas ac novas opiniones contra fidem gignit aut sequitur.

QUESTIO PRIMA.

Utrum consecratio huius sacramenti proprie conveniat sacerdotibus.

Tho. 3. q. 82. ar. 1.

Circa distinctionem istam quaeritur de duobus in generali. Primo de dispensatione huius sacramenti. Et secundo de haeresi de qua Magister facit mentionem. Circa primum quaeruntur quatuor. Primum est quis possit hoc sacramentum consecrare. Secundum est an liceat sacerdoti omnino a consecratione seu celebratione cessare. Tertium est cui liceat hoc sacramentum dispensare. Quartum ad primum quaeritur utrum consecratio huius sacramenti proprie conveniat sacerdotibus. Et arguitur quod non: quia in institutione huius sacramenti dixit Christus Apostolis: Hoc facite in meam commemorationem, per quod videtur commisisse consecrationem huius sacramenti solis Apostolis, sed simplices sacerdotes non succedunt loco

Apostolorum, sed Episcopi tantum, ergo videtur quod consecratio huius sacramenti conveniat solis episcopis.

2. Item dicit Augustinus, quod extra ecclesiam catholicam non est locus veri sacrificii: & habetur prima causa quaestione. 1. cap. quod quidam, sed multi sacerdotes sunt extra ecclesiam saltem schismatici & haeretici, ergo tales non debent hoc sacramentum conficere.

3. Item eadem est potestas sacerdotis quae potest hoc sacramentum conficere, & absolvi in foro poenitentiae. Sed sacerdos excommunicatus, vel degradatus non potest absolvi in foro poenitentiae, ergo nec consecrare.

4. In contrarium est determinatio ecclesiae quae habetur extra de summa trinitate & fide catholica, ca. 1. ubi dicit sic hoc sacramentum nemo potest conficere nisi solus sacerdos qui rite fuerit ordinatus.

5. Et arguitur sic per rationem. Quia digniora sunt sacrificia non le. quam vetera. Sed offerre sacrificia vetera legis fuit proprium sacerdotibus, ergo fortiori ratione offerre sacrificium novae legis convenit solis sacerdotibus.

6. **R**ESPONSI O. Cum proprium sit quod convenit soli & omni. dicendum est quod conficere hoc sacramentum eucharistiae convenit proprie sacerdotibus, quia convenit solis sacerdotibus & omnibus sacerdotibus. quod convenit solis sacerdotibus patet sic. cuius est potestas eius est actus, sed potestas consecrati est in solis sacerdotibus, ergo actus consecrandi solum competit eis. Maior patet per Arist. de som. & vi. Minor probatur, quia potestas quae datur per consecrationem solum est in consecrato. Sed potestas consecrati dicitur in consecratione datur in consecratione sacerdotali, ut patet per formam verborum qua dicit episcopus consecrando sacerdotem & tradendo ei calicem quae sunt ista: accipe potestatem sacrificii offerendi, missamque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis in nomine domini, ergo soli consecrati consecratione sacerdotali habent potestatem consecrati hoc sacramentum.

7. Quod autem conveniat hoc sacramentum conficere omnibus sacerdotibus ita quod si seruet omnia quae sunt de necessitate sacramenti verum sit sacramentum, patet sic. Si non omnis sacerdos possit hoc sacramentum conficere hoc esset aut propter demeritum vitae, quia esset malus, aut propter defectum in fide, quia esset haereticus, vel propter sententiam ecclesiae, quia esset excommunicatus, vel propter depositionem ab ordine, quia esset degradatus. Sed nullum istorum impedit quin sacerdos possit vere conficere, ergo &c. Maior patet. Minor probatur secundum quatuor articulos in ea contentos, quod enim malitia vitae non impedit probatur sic. quia sicut dicitur supra dist. 5. cum ageretur de baptismo bonitas moralis & bonitas ministerii sunt bonitates omnino separatae, ita quod una aliam non requirit necessario sicut potest deduci in omni ministerio humano. Et multo amplius potest hoc dici de ministerio sacramentorum Dei, quia in eo totus effectus interior est a Deo & non a ministro sed solum exterior ministerii. Et ideo interior bonitas, vel malitia moralis ministerii nihil facit ad ministerium. Cum igitur sacerdos in consecratione huius sacramenti non habeat potestatem nisi simplicis ministerii, patet quod eius malitia non impedit effectum sacramenti dum tamen concurrat alia quae ad sacramentum sunt necessaria. Nam secundum Augustinum, & est auctoritas canonizata. 1. quae st. 1. Hoc sacramentum non in merito consecratis, sed in verbo conficitur creatoris.

8. Quod autem defectus in fide non obstat consecrationi huius sacramenti patet sic. Si ad sacramentum requireretur fides ministri maxime tequireretur ad sacrificium baptismi qui per excellentiam dicitur sacramentum fidei. Sed ad baptismum non requiritur fides ministri ut probatum fuit supra, ergo nec ad consecrationem huius sacramenti. Dico autem de fide, & non de sacramento quo quis primo ascribitur fidei videlicet de baptismo, quia sine eo nullus esset sacerdos, nec per consequens minister huius sacramenti, utrunque praedictorum probari potest una communi ratione sic. Ad eliciendum aliquem actum quantum ad essentiam actus nunquam necessarius est habitus. (Habitus enim solum ponit modum sicut ad concupiscendum non requiritur temperantia, sed ad bene concupiscendum) sed gratia & fides per quam est bona vita ponunt esse quidam

dam habitus, ergo non sunt necessarii ad actum consecrandi quantum est de substantia facti, sed solum ad dignè & bene consecrandum ita ut sit ad meritum consecrans.

9. Quod autem dicitur. 2. quaest. 1. cap. audiuimus, quod quicumque fuerit ab Ecclesiae unitate alienus excommunicatus, non potest consecrare, non valet, non obuat praedictis: quia in quaestione illa ut patet ex eius titulo, & in praedicto cap. ut patet ex eius conclusione non intenditur aliud nisi quod haereticus non possunt alio excommunicare, vel absoluere, quod utique est verum, quia priuati sunt omni iurisdictione. Quod autem interseritur in capitulo praedicto quod alienus ab unitate Ecclesiae excommunicatus non potest consecrare non valet, non intelligitur de consecratione ordinis, vel consecratione sacramenti Eucharistiae sicut glossa bene exponit, sed de excommunicatione, vel consecratione excommunicationis, vel absolutionis de quibus in illa quaestione & in illo capitulo solum agitur, vel si intelligeretur referendum esset solum ad illos qui formam Ecclesiae non obseruant.

10. ar. 1.

10. Quod autem excommunicatus vel degradatus possit verè obsequere patet sic: quia si non posset hoc esset, vel quia esset priuatus potestate consecrandi, vel executione non solum iuris, sed & facti. Sed non potest dici quod sit priuatus potestate, quia illa datur per consecrationem, talia autem manent quando manent res consecratae etiam in rebus inanimatis, sicut calix consecratus quando manet integer manet consecratio eius. Hoc etiam patet, quia si excommunicatus absoluitur, & degradatus reconcilietur Ecclesiae non reordinatur, nec priuatur executione facti quin si consecratur, verè sit consecratus. Quia plus impedit ministerium a ministerii sui debito culpa perpetrata per eum quam poena ipsi inflicta per alium. Sed propria culpa non priuat ministerium ab executione facti, ergo nec poena inflicta per alium: excommunicatio autem & degradatio sunt quaedam poenae, ergo &c. Solum ergo per excommunicationem & degradationem priuatur quis executione iuris, quia non digne exequitur, sed differenter. Quia cum excommunicatio sit medicinalis, ideo excommunicatus non aufertur executio potestatis sacerdotalis quasi in perpetuum, sed ad correctionem vsque ad tempus: degradatus enim aufertur executio quasi in perpetuum condemnatis. Quod autem dicit Canon. 1. q. 1. cap. quod quidam. quod degradatus non habet potentiam consecrandi licet habeat potentiam baptizandi non est accipiendum tanquam assertiuè dictum, sed inquisitiuè sicut patet ex circumstantia litterarum, & finaliter residet in hoc quod degradati habeant potestatem baptizandi, sed executionem non habent ad salutem, sed ad suam perniciem tam ipsi quam suscipientes ab eis.

11. Ad primum arg. dicendum quod illud verbum Christi, Hoc facite in meam commemorationem, dictum fuit Apostolis non tantum pro se, sed pro posteris qui succedere debeant in eodem officio, non quoad apostolatum, sed quoad simplex sacerdotium: & hoc obseruat ecclesia quae hanc traditionem accepit ab Apostolis quibus dicta fuerunt illa verba.

12. Ad secundum arg. dicendum quod extra ecclesiam non est locus veri sacrificii quando non obseruatur forma ecclesiae, vel non est verum sacrificium quantum ad effectum: quia tam consecrantes quam ab eis sumentes non habent illud ad salutem, sed ad perniciem.

13. Ad tertium dicendum quod non est simile de consecratione & absolutione in foro poenitentiae, quia quod excommunicatus vel degradatus non possit absoluere in foro poenitentiae, hoc est vel quia totaliter subtrahitur ei materia quae est peccator subditus, excommunicato autem & degradato nullus est subditus quoad iurisdictionem ecclesiasticam, vel quia recipiens ab eis absolutionem ipso facto peccat mortaliter: committendo autem vnum peccatum non potest absolui ab aliis, quia de necessitate huius sacramenti est subditus verè poenitens. Qui autem non est poenitens de omnibus, non est verè poenitens. In consecratione autem sacramenti eucharistiae supponimus omnia concurrere de necessitate sacramenti. scilicet materiam & formam, & ministerium, & intentionem, quibus concurrunt verum est sacramentum.

QUESTIO SECVNDA.

Vtrum liceat sacerdotibus penitus cessare a celebratione missae.

AD secundum sic proceditur. Et videtur quod liceat sacerdoti penitus cessare a celebratione missae. Quia ordo episcopalis non minus obligat episcopum quam ordo sacerdotalis sacerdotem, sed episcopo totaliter licet abstinere ab executione ordinis episcopalis, iustificat enim quod per alium episcopum faciat celebrari ordines, confirmare, consecrare ecclesias & virgines & alia ad officium episcopalis ordinis pertinentia, ergo similiter licitum est sacerdoti penitus abstinere a celebratione missae & ab aliis quae sunt ordinis sacerdotalis.

2. Item exempla sanctorum licite possunt imitari, sed in vitis patrum legitur de quodam sancto patre quod ordinatus in sacerdotem nunquam post celebravit, ergo licitum est ordinato in sacerdotem exemplo illius nunquam celebrare.

3. IN CONTRARIUM arguitur, quia non est licitum simpliciter laico penitus abstinere a comunione, ergo si milititer non est licitum sacerdoti penitus abstinere a celebratione. Antecedens patuit supra: consequentia probatur, quia sacerdos ex hoc quod recipit sacerdotium, recipit officium celebrandi, & sic videtur se obligare ad celebrandum, sed simplex laicus (ut videtur) non est obligatus ad comunicandum nisi quatenus obligatur per ius posituum, ergo &c.

4. Et confirmatur per Ambrosium qui dicit sic: graue est quod ad mensam tuam mundo corde & manibus innocens non venimus, sed grauius est si dum peccata metuis facis: sacrificium non reddimus, sed primum est peccatum mortale, ergo & secundum.

5. RESPONSIO. Circa quaestionem istam videntur da sunt duo. Primum est vtrum liceat sacerdoti omnino a celebratione missae cessare. Secundum est si celebret quem ritum debet in celebratione seruare.

8. Quantum ad primum dicendum est quod quantumvis visum fuerit quibusdam quod sacerdos non tenetur celebrare missam nisi habeat populum subiectum, probabilius tamen tenetur quod sacerdos non potest sine graui peccato totaliter abstinere ab omni celebratione missae nisi haberet tale impedimentum corporale vel mentale per quod excusaretur legitime, quod non posset, aut non deberet celebrare. Cuius ratio est, quia potentia est propter actum, & ideo recipiens potentiam frustra recipit eam nisi cessante legitimo impedimento quandoque exeat in actum: cum igitur potestas ordinis sacerdotalis sit principatus ad consecrandum corpus Christi quae est dignitas maxima quam Christus contulit hominibus, recipiens talem potestatem frustra & delusorie eam videtur habere, si cessante legitimo & perpetuo impedimento nunquam exeat in actum seu executionem talis potestatis celebrando missam quoad: frustrare autem seu deludere ea quae ad sacramenta pertinent non est leue peccatum, generat etiam in aliis scandalum, & ideo non videtur quod liceat sacerdoti omnino cessare a celebratione missae nisi habeat legitimum impedimentum corporale vel spirituale: corporale quidem est si fiat paraliticus, aut alias impotens, spirituale vero si post suam ordinationem aduertat se esse irregulare tali irregularitate in qua non consuevit dispensari, sicut est irregularitas homicidii, vel non potest commode adire dispensantem, vel non praesumit quod secum dispensetur.

7. Quantum ad secundum videlicet qui ritus debeant in celebratione missae seruari. Aduertendum est quod circa celebrationem missarum multa obseruanda sunt. scilicet tempus, locus, vestes, & vasa, & quaedam alia minores circumstantiae. Quantum ad tempus secundum est quod missa debet celebrari de die non accipiendi diem naturalem, qui includit diem & noctem, sed pro die artificiali qui distinguitur contra noctem, quia hoc sacramentum cum sit contentiuum ipsius Christi, qui dicit de seipso: Ego sum lux mundi. sic est etiam speciale memoriale passionis dominicae, quae in die facta est, & per cuius meritum dies gratiae mundo illuxit non debet nisi de die celebrari, excepta nocte natalis domini in qua claritas diei pastoribus effulsit Angelis nunciantebus Christi natiuitate, & excepta vigilia Paschae quod in paucis ecclesiis obseruatur, primum tamen obseruatur quae sit in omnibus. Extra autem praedictas noctes, non licet

Tho. 3. 2. 2. artic. 2.

